DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ, ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXI. IANVARII;

M. NICOLAO LE LETIER, Doct. Moderatore, Præſide.

1034

An Imaginatio operetur ad extra?

SI ratione corporis homo μικρόκοσμος eſt; quo digniori ſi ſpectes animam eundem nobilitatis titulo? Hæc noſtri pars melior vitabit Libitinam, ſola morte non extaſi à corpore diuidua, non ingreſſa primum eſt iſtud vt diuerſorium, ſed vt organum; ipſius viribus exerendis promptiſſimum; mira partium ſtructura, exquiſitaque temperie adornatum. Animæ rationalis eſſentiam multa tectam caligine & cymmerijs prope tenebris inuolutam curioſius rimari animi eſt nimium ſatagentis; ſatis illa ἀφανὴς licet, ſuis ſe prodit facultatibus, facultates actionibus. Harum alias ſibi vindicat vt proprias, & vernaculas, quæ minime cum materia communicant, aliæ partim ab ipſa pendent partim à corpore à quo inſtrumenta petuntur. Omnes tamen ab ipſius natura indiſtinctæ, vnde non mirum ſi tantopere ſibi inuicem conſentiant, vt quod inter corporis partes eiuſdem ſubſtantiæ, muneris, aut proximitatis iure cognatas, euenit, ξυμπαθέα πάντα; Id inter ſe propter naturale ſuperiorum in inferiores imperium, & æquabilem omnium, naturalium vitalium, & animalium in eodem animæ ſinu radicationem conſequantur.

FAcultatum omnium quarum imperio noſtrum corpus regitur, prima ac præſtantiſſima animalis, vt inter ſenſitiuas externas viſiua ſic interiorum principatum tenet imaginatio licet à cæteris ſede non diuerſa, inter principes nobilior intellectus, etiam voluntate; Quo proinde ſolus homo præditus cunctis animantibus præcellit; hic tamen quandiu corporis vinculis retinetur non niſi ſenſuum vt internunciorum eâ ope cognoſcit, vt rerum omnium ſimulacra per ſenſus primum exteriores hauſta; in principem intimumque commeent qui phantaſia nuncupatur, hæc principium eſt quod vniuerſum animantium genus conſtituit, à quo & animantes omnes vel quæ in infimo ſunt inſectorum ordine ſentientes appellantur, hæc ceu communes rerum abſentium imagines contempletur, & de illis ſuum promat iudicium, ceu ex iſtis confuſis & permixtis multa effingat quæ ſub ſenſum non venerant quodammodo vim ratiocinatricem imitatur quam poſtea ad condendas ex phantaſmatis ſuis ſpiritales rerum idæas ſuſcitat; quinimò & à multis (abſit tamen,) rationis vires in brutis gerere credita eſt. Hinc à Philoſopho intelligentiæ largâ appellatione comprehenditur, Vt mirum non ſit amplius quod tam mira de imaginatione prædicent, vt pote primâ mentis Ianuâ à qua cæteras deinceps ſit neceſſum potentias extimulari.

PRIMA & luculentiora virtutis ſuæ ſpecimina in proprio corpore deſignat; hinc præfixo per imaginationem ſurgendi tempore multi eodem expergiſcuntur. Veneris attentâ ſomnianti præſertim meditatione ſemen dilabitur. Quinimo ſola ſanitatis aut imaginatione morbi alterutrum obtigiſſe compertum eſt. Mirabilior tamen licet minus efficax in alieno propinquo ceu fœtu conformando, vel potius conformatricem ipſius facultatem per ſpecierum exemplaria dirigendo; earumque non omnium, ſed quas tantum animi paſſiones maxime deſiderium & terror fortiores & corroboratas conformatrici debiliori, & à ſua naturali operatione diſtractæ ac interturbatæ penitius & intimius adiungant; vt ad earum ipſa ſimilitudinem quidquid per materiæ diſpoſitionem licuerit, toto geſtationis tempore, ſed magis initio, parti plerumque ſimul apprehenſæ ſignaturas eaſdem tot diuerſis modis inurat; vt certam tantæ varietatis proferre rationem difficillimum ſit. Denique cum triplex parentum ad natos ſimilitudo recenſeatur, prima in ſpecie, quæ ab incremento; ſecunda in ſexu, quæ à principiorum temperamento; tertia in effigie, quæ à ſeminum motu & inexiſtente conformatrice dependent; omnes vnius imaginationis imperio ſubijciuntur; vt ſi tam mira facultas ea quæ quidem animal ab initio finxit; qualis illa ſit pateat ſatis, quæ priorem vt organum nutu ſuo dirigit & gubernat.

NE tamen dum tanto ſtudio vires imaginationis inueſtigas ſuperſtitioſè nimis cum totâ delirantium Arabum familiâ commentitia quædam inſuper ac imaginaria eidem affingere videaris. Quidquid ipſa potis eſt, ac efficit; id non perſe ac immediatè molitur cum merè paſſiua ſit, & ſolius immanentis productiua cogitationis ſuæ, quæ continuò infœcunda; & in ipſâ dumtaxat facultate reſidens, ac concepta, nihil extra limites ipſius, ceu in proprio, ſiue in alieno corpore procreare valebit. Neque pariter miro quo vtitur ad functionem ſuam organo, ſpeciebus rerum intentionalibus; quarum tota ratio vt obiectum ei repreſentet, & exhibeat, non vt ipſum efficiat addicta eſt. Sola demum id præſtat reliquarum tum animæ tum naturæ facultatum exſtimulatione, cum quibus cognationem ac ſympathiam ſortita eſt, vt iſtis melius quam phantaſiæ potentiis accepti debeant effectus referri: ſic ſola mediante conformatrice fœtum immutat; ſolâ motrice naturali ſanguinem quoquouerſum diffundit; vt & ſolâ animali & voluntaria res externas ſuo loco pellit ac dimouet; ſi tamen mobili mouens organum vniatur; contactus ſiquidem licet actionis cauſa non ſit tanti nihilominus ad ipſam intereſt, vt ſine aureo iſto patientium & agentium vinculo nulla actio tam vulgaris & manifeſta quam ſympatica, & occulta poſſit à naturâ perfici. Duplex autem ipſius ſpecies ſolius altera virtutis, altera molis iterum duplex, craſſioris, & tenuioris ac ſubtilioris ſubſtantiæ, quâ plurima & abditiſſima reſerabis naturæ myſteria, quæ indocti mixtorum qualitatibus occultis, ſæpe cœlorum influxibus impudenter adſcribunt. In promptu erit cauſam reddere cur cucumis ex ſuo dependens caudice, & impendens oleo creſcat in ventrem aquæ in longitudinem. Cur anicularum amplexibus pueri faſcinentur, quod nemo in oculos aut imaginationem retulerit.

QVANTVMVIS igitur perfecta ſit intenſa & ſub benigni ſyderis aſpectu nata; vndè ſibi nullam poteſt talem agendi virtutem Imaginatio depromere, nunquam parietem, qui niger eſt album efficiet, quantumuis ſanitatem imaginetur, qui paralyſi rigidus iacet, ſenſu motuque non proinde ex eo donabitur. Apage vibratos ſpiritus, ac ſpecies rei cuiuſlibet etiam in remotis corporibus effectrices, cum quibus imaginationi, vt & aliarum animæ facultatum nulli, ſocietas, contactus, aut imperij ius intercedunt. Vana omnino futilis & ridicula Arabum ſententia nullo ſtabilita fundamento. Ecquis enim ſibi in animum induxerit, eâ vi pollere imaginatiuam potentiam vt hominem faſcinet, inſidentem equo in puteum diſiiciat, grandines, pluuias excitet, tonitrua cieat: iſthæc crede mihi deliramenta ſunt puerorum equitantium in arundine longâ. Fictitium pariter exiſtimamus quod de Empedocle narratur. Fruſtra enim cauſam eorum effectuum tam mirabilium & inſtrumenta, quæ nunquam reperturus es quæſiueris; Hæc ſi aliquando tibi occurrant herbam porrigemus.

Ergo imaginatio non operatur ad extra.

475

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Alanus Lamy.	*M. Claudius Guerin.*	*M. Philbertus Moriſſet.*
M. Nicolaus le Letier Præſ.	*M. Petrus Yuelin Med. Reg.*	*M. Carolus Guillmeau.*
M. Petrus le Mercier.	*M. Mathurinus Denyau.*	*M. Iacobus Iouuin.*

Proponebat Lutetiæ PHILIPPVS CHARTIER Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LV.